



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Nomen Campaniæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

LA-  
CVS  
HIR-  
PI-  
NO-  
RVM.

AMPSANCTVS : hodie *Musti*, sub oppido *Fricento*: ad quem ædes *Mephitis*, ad eum qui propiùs aecedit interimitur. Eius meminit *Tullius* 2. de *Diuinat.* de eo *Maro* 7. *Æneid.*

*Est locus Italiæ in medio sub montibus altis,  
Nobilis & famâ, multis memoratus in oris  
Ampsantæ valles, &c.*

locus ille (ait *Seruius* ad hæc verba) ambiebatur colibus, & arboribus, vnde odor ille pestifer, qui accedentes interimebat: quare hîc victimæ non iugulabantur, sed huic loco admouebantur, & interficiebantur, eratque hoc litationis genus; de hoc in *Admirandis*.

## CAPVT OCTAVVM.

## De Campania.

HÆc est regio non *Italiæ* modo, sed toto *terrarum orbe* pulcherrima *plaga*, (ait *Florus*) quam *Philostratus* in *vita Apollonij* *Ἰταλίας εὐδαίμονα* vocat; *Plinio* *Felix & beata humanitas, & vno in loco gaudentis opus nature, &c.* de quibus mox plura in *qualitate* huius regionis.

§. I. *Historica Campania descriptio.*NVM. I. *Nomen Campaniæ.*

NOMEN habet ab vrbe *Capuâ*, quam *Capys Troianus* condidisse fertur, licet aliqui reclamant, & *Capyn* illum *Samnitum* dicant. Alij à *Capy*, seu *Falcone* linguâ *Tuscâ* dictam malunt, quæ vox *Falconem* sonat, quod augurio *Falconis* condita esset. Alij à quodam cui *eurui* pollices *pedum* essent, quos *Tusci* *Capuas* appellant, sic *Festus*. Alij, quod esset in *planitie*, seu *loco campestri*: alij denique, quod esset in *medio*, & *caput* 12. *urbium Campanarum*; ita *Eustathius*.